



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

III. Notationes in vitam S. Henrici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

NOTATIONES IN VITAM
SANCTI HENRICI IM-
PERATORIS.

EXscriptissimus hanc vitam Henrici Imp. ex Codice Monasterij Rebdorffensis propè Aichstadium, Euulgauerat iam Tom. 6. Antiq. lect. clariss. vir D. Henricus Canisius I. C. & in Academia Ingolstadtienti SS. Canonum professor, aliam ex manuscripto exemplari Cœnobij VVindbergensis. Sed hæc nostra plenior est, cum Bullas variorum Pontificum & Imperatoris Henrici literas contineat: quibus Codex VVindbergensis carebat. Auctorem indagare non potui. In Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum ita scribit Sigebertus cap. 139. *Adelbodus ex Clerico Lobienfi Episcopus Ultraiechtensis scripsit vitam Secundi Henrici Imperatoris.* Idem testatur Sigebertus in Chronico.

Cum autem scriptor, quem nunc publicamus, faciat mentionem *Canonizationis* S. Henrici, fieri non potest, ut sit Adelbodus, quem Baronius *Adalberonem* vocat; nam diu ante tempora *Canonizati* Henrici Adelbodum vixisse oportet, cum eius faciat mentionem Sigebertus, qui viuere desit, Anno 1112. vel 1113. ut in fine Chronici eius annotatur: Henricus autem cœlitum numero adscriptus fuerit Anno 1152. ut planum fit ex Bulla Eugenij III. apud Baronium: nisi quis dicat, hæc & alia nonnulla de miraculis S. Henrici à posterioribus fuisse superaddita; ut sæpe factum in sanctorum historiis.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi scribit Adelboldum (sic enim indigitat) fuisse Henrici Imp. *Cancellarium, & consiliarium aliquanto tempore*, quem idem Trithemius in Catalogo Illustrum virorum Germaniæ, & in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, mortuum ait sub Conrado Imperatore, Anno 1027. 5. Kal. Decembr. Anno Episcopatus sui XVIII.

Ingressurus etiam Auctor noster narrationem miraculorum, quæ Deus per S. Henricum patrauit, profitetur se ea expositurum,

positurum, quæ aut veraci, aut indubitata maiorum relatione acceperit, aut quæ, ut ait, ipsi modernis temporibus gesta probauimus & vidimus. Quæ Adelbodo nõ quadrant cum S. Henrico triennium duntaxat superuixerit. Quocirca de miraculis S. Henrici, vt de re veteri, & quæ à maioribus disci debuerit, loqui non poterat. Accedit, quod scriptor iste scribit iis de rebus, quæ diu post mortem Adelbodi acciderunt; vt de Diplomate Henrici III. Regis, de Bullis Leonis IX. & Clementis I I. de quarto & sexto Episcopo Bambergensi, ad quorum tempora Adelbodus non peruenit. Fortè non aberrabit, qui Nonnosum Monachum huius historiæ, vt & eius, quæ est de S. Chunegunde auctorem statuerit. Hunc enim vitam & res gestas S. Henrici literis mandasse testatur in Annalibus Bambergensibus Martinus Hoffmannus, & ex illa commemorat causam cur claudicauerit Henricus, quam ex Apographo Bambergensi ad caput XXII. percensuimus.

Etymon nominis Germanicum est *Hain, Haim*, est domi; inquit Auentinus in Nomenclatura Annalibus Boicis præfixa. *Reich, diues, & regnum atq; Imperium*: inde *Hainreich / Haimreich / Heinrich*; sic Veteres Honoricum dixerunt; in vsu est Henricus. *Vngari Hamericum, & absq; aspiratione Aemicum* vocant. Fuit filius Stephani Regis Vngarorum & Gisula, sororis D. Henrici Imp. significatur hoc nomine prudens & bonus paterfamilias, & qui colit regnum & imperium. Ita Auentinus.

Cognomenta habuit Henricus Imperator *Sancti* à Sanctitate. *Pij*, à pietate; & *Claudi*, à luxato femore, vt in Saxonia illustrata ait Fabricius. Et olim admodum frequens erat huiusmodi appellationes Regibus & Imperatoribus addere. Hinc Henricus Rex, Othonis Magni pater, dictus est *Auceps*, quod aucupio mirè delectaretur: Et *Humilis*, quod coronam Imperietatis detrectasset. Otho II. Imperator, *Rufus*. Otho III. *Puer*; quod Puer regnare ccepisset. Henricus III. *Niger*, Conradus, pater eius, *Salicus*. Hinc etiam Carolus Caluus; Carolus Crassus, Carolus simplex. Ludouicus Balbus, apud Græcos Michael Balbus. Fuit autem S. Henricus Tertius huius nominis Dux Bavariz, filius Henrici secundi Boiorum Ducis.

Exscripti

Exscripsi autem, vt in initio dicebam, hanc de S. Henrico Historiam ex Codice M.S. Monasterij Rebdorffensis. Postea misit ad me admodum Reuerendus, Magnificus & clarissimus Dominus Doctor FRIDERICVS FORNERVS, Vicarius Bambergensis, apographum quoddam veteris Exemplaris; ex quo interdum, quæ in meo deerant, vel corrupta erant, suppleui & correxi: tametsi non inuitus fateor, plura superesse, quæ correctione egeant, præcipuè in Diplomatis.

Codex Rebdorffensis carebat distinctione capitum: quâ ex Apographo Bambergensi inseruimus, additis etiam *lemmatis* seu *summaris* singulorum capitum, idque maioris lucis gratia.

In Apographo Bambergensi erat iste Titulus. *Incipit liber primus de vita & de gestis S. Henrici Imperatoris & Confessoris.* In Apographo tamen nusquam apparet aut finis primi, aut exordium secundi libri, nisi fortè id sumendum sit, à commemoratione Miraculorum, quæ Deus per sanctum Imperatorem iam vitam functum, patrauit.

Est autem historia hæc vel eo nomine magni facienda, quòd contineat aliquot Pontificum & Imperatorum literas ac constitutiones non valde obuias; si non penitus raras, vt


Ioannis XIX.	I.
Clementis II.	I.
Leonis IX.	II.
Benedicti VIII.	II.
Henrici Episcopi Herbip.	I.
Ioan. Patriarch. Aquileiensis.	I.
Othonis II. Imp.	I.
S. Henrici Imp.	I.
Henrici, cognomen <i>Nigri</i> , Imp.	I.

Quæ omnes, excepta illa Othonis, reperiuntur in Codice Manuscripto Viennensi, de quo infra dicemus.



L

NOTA-



NOTATIONES IN
CAPVT PRIMVM.



ANNO ab Incarnatione Domini Millesimo primo) Baro-
nius Tom. II. Anno 1001. mortem Ottonis & suc-
cessionem Henrici refert ad annum 1002. secu-
tus, vt ait, Marianum, Sigebertum, Lambertum.
Otto tamen Frisingensis & alij cum nostro Auctore faciunt.

Othone puero) Nomen Pueri Othoni adiecisse videtur; quia
puer Imperium inierat. Helmoldus lib. I. Chron. cap. 13. Illi
(Othoni II.) tertius Ortho, cum adhuc esset puer, in regnum substitutus
est.

Roma defuncto) Ita etiam Rupertus in vita S. Heriberti. Da-
mianus in vita S. Rumoldi mortuum dicit apud Paternum.

Literarum studio) Etiam Rupertus in vita S. Heriberti Hen-
ricum à literarum cognitione laudat.

Ab omnibus pari voto) Fuere tamen, qui Henrici electioni re-
fragarentur. Vide Ditm. lib. 5. initio.

In Caput II.



Anctus VVolffgangus) A quo S. Henricus educatus fu-
erat; teste Ditmaro lib. 5.

*Nurit præclarum VVolffgangus Præsul alumnus,
Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.*

Visum namq; est ei) Hæc visio describitur quoque in vita san-
cti VVolfgangi; & à Baronio refertur ad annum Christi 1007.

CAESARIS DIGNITATEM) Cæsaris nomen pro Impera-
toris vocabulo. Vita S. VVolfgangi: Septimo anno à Pontifice Ma-
ximo Imperator vnctus est. Quod factum à Benedicto VII. Pon-
tifice, Anno Christi 1014. Olim communi vsu Rex Romano-
rum Cæsar appellabatur. Langius in Chronico; *Notandum, quod
Electus mox Cæsar, & Romanorum Rex appellatur: tum demum Impera-
tor & Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmasset.*

In Caput III.



Anctum Gothardum) Exstat vita S. Gotthardi Tom. 7. Suriij. 4. Maij, de quo lege Crāzium lib. 4. Metrop. cap. 7. Langium in Chronico Anno 1014. Fuit initio Monachus, imò & Abbas, inferioris Altahe. Vide infra diplomata S. Henrici Imperatoris.

Quid autem Merseburgensi Ecclesia) De instauratione Ecclesiæ Merseburgensis, & in eam meritis S. Henrici lege Ditmarum lib. 6. Chronici: Et vitam Ditmari.

Tempore Magni Othonis) De victoria Magni Othonis ab Vngaris reportata, Anno 955. vide vitam S. Vdalrici cap. 12. Ditm. lib. 2. Chronici. Tres Vngarorum Duces iussu Henrici Bauariæ Ducis suspensos habet V Vitichindus. Noster iste, Reges vocat; vt & editio Vrstifiana Contracti. Regulos appellat Sigebertus.

Merseburgensis Præsul) Merseburgensem Episcopatum fundauit Otto Magnus; voto edito, cum Vngaros ad Augustam aggressurus esset. Ditm. lib. 2. *In festiuitate Christi Martyris Laurentij, Rex solum se præ cæteris culpabilem Domino professus, atque prostratus, hoc facit lacrymis votum profusus: si Christus dignaretur sibi eo die, tanti intercessione Præconis, dare victoriam & vitam, quod in ciuitate Merseburgensi Episcopatum in honore victoris ignium construere veller.*

Episcopus Magdeburgensis primus fuit Albertus, seu Adalbertus: secundus, Orthricus: tertius Gifelerus, seu Gifelenus ex fede Merseburgensi Magdeburgum translatus: de quo hic sermo: idq; factum non ab Ottone Magno, sed à filio eius Othone II. quem perperam egisse, extinguendo Merseburgensem Episcopatum, & propterea infeliciter in Calabria cū hostibus pugnasse, S. Laurentio iniuriam sibi illatam vl-

ciscente, scribit Auctor, qui vitam S. Adalberti

scripsit apud Sur. Tom. 2. 23. April.

Lege Baron. Tom. 10.

Anno 983.



In Caput IV.



Adriani Martyris) Adrianus Martyr, cuius festum Ecclesia celebrat 8. Septemb. Forfan VValbeck est locus ille, de quo Ditm. lib. 6. Monasterium in VVallebizi cum quatuor Ecclesiis, &c. incendio perit. Fabric. lib. 2. Origin. Saxon. vocat VVallebicum. Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus. Diui Adriani Martyris gladio, qui VValberga afferuabatur, se accinxit. Bonfin. Dec. 2. lib. 1. de Henrico: Cum sepe ante praelium Eucharistia muniret exercitum, Laurentium, Georgium, & Adrianum cum armato Angelo Diuos suam aciem praecessisse suspexit. Idem habetur in compilatione Chronologica.

In Caput IX.



Nomine sancta) Diploma hoc adscribit Auctor Othoni III. Imp. Sed necessario referri debet ad Othonem II. Imp. Nam conditor huius Diplomatis vocat genitricem seu matrem suam *Adelheidam*; at *Adelheida* fuit Mater Othonis II. vxor Othonis Magni; nam Othonem III. peperit Theophano, mulier Graeca. Martinus quoq; Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus diploma hoc Othoni I. tribuit.

Caro nepoti nostro) Cur Henricum nominat Nepotem? Diploma loquitur de Henrico II. huius nominis Bauariae Duce, patre Henrici sancti, qui fuit tertius Bauariae Dux Henricus indigitatus. Fuit autem Henricus I. patruelis Ottonis II. Imperatoris. Ex duobus quippe fratribus geniti fuere. Ille, ex Henrico primo Bauariae Duce: Hic, ex Otone Magno Imperatore. Nepotem ergo pro patruale usurpat. Porro Bambergam reliquit Henricus Pater filio Henrico, de quo haec historia.

Nemklin Vraba) Ita Codex Rebdorffensis. Apographu Bamberg. hic nihil opis tulit. Codex Donauerdanus. Cum omnibus ad hanc respicientibus, & eo in seruitium versis, & *Nendilin Vraba*.

Anno

Anno Regni Domini Othonis XIV.) Apographum Bamberg. XIII. Etiam hinc liquet, diploma pertinere ad Othonem II. quia Otho III. tantum XII. annis Regis titulo Imperium administravit, Imperator inunctus 996. nec VII. annos Imperator fuit: sed tantum VI. Otto autem Secundus quatuordecim annos Rex fuit; Rex creatus anno 961. Et solus imperare ingressus 974. Licet enim Anno 967. inunctus fuerit Imperator, Imperij tamen anni Ottonis non computantur, nisi ab obitu parentis Ottonis Magni. Sed est error librarij in Indictione, quæ anno VII. Imperij Ottonis non fuit prima, sed octava.

In Caput X.

Anno igitur ab Incarnatione) Baronius ex lib. 6. Ditmari refert hanc Synodum ad Annum MVI. Lege Ditmarum lib. 6. Bambergense Apographum convenit cum nostro Codice, ut & liber manuscriptus, in quo varia diplomata & literæ Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum & Episcoporum continentur missus ad me Vienna Austriæ à clarissimo & eruditissimo Domino SEBASTIANO TENGNAGEL: nisi quòd de die diffusio est: sic enim dicitur Codex. Anno Dominicæ Incarnationis M VII. Indiçt. V. Kal. Nouemb.

Anno regni sui VII.) Cod. Vienn. & Apograph. Bamberg. VI.

In eodem anno regni sui) Cod. Vienn. Regni sui VI.

Raterzgeuue dictum) Cod. Vienn. Raterzgeuui. Paulò pòst; Volzfelt.

CL. mansos) Ita etiam Cod. Vienn. Apograph. Bamberg. CXL.

Memmingun.) Cod. Vienn. Meinungim. Apograph. Bamberg. Meinungen.

Multiq̄, qui presentes) Quos Codex Viennensis ita nominat. In hoc consentientibus & perspicentibus (fortè, perficientibus) imprimis videlicet VVirzeburgensi Episcopo Henrico, & VVilligiso venerã-

do Archiepiscopo Moguntino, & Burchardo VVormaciensi, & VValtero Spirensi, & VVerenharo Strasburgensi, & Adalberone Basileensi, & Oudalrico Curienfi, & Liutolpho Archiepiscopo Treuerēfi, & Theodorico Metensi, & Bertoldo Tullensi, & Heimone VViridunensi, & Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, & Norkero Leodiensi, & Ertvino Cameracensi, & Daginone Archiepiscopo Magdeburgensi, & Hildolpho Mantuano.

At Romanus Pontifex) Cod. Vienn. Romanus verò Pontifex & Vniuersalis Papa Ioannes precatórias prædicti Henrici literas inspiciens & piissimi Regis deuotioni congaudens; habità in sancti Petri Basilica Synodo pro confirmãdo Babenbergensi Episcopatu, priuilegium fecit conscribi & Apostolica auctoritate corroborari, vniuersis Gallia & Germania Episcopis rescribens, vt & ipsi pari communiq; auctoritate eundem Episcopatum corroborarent & confirmarent.

In Caput XII.



E Bulla Ioannis Pontificis, & qui nam Præsules eam subscriptione sua confirmarint, ita Codex Vienn.

Quod videlicet priuilegium venerabiles Patres in supradicto Frankensurt habito generali Concilio consistentes, summa veneratione legendo suscipientes, & Apostolicæ auctoritati obediētes, deuotius mentibus subscribendo, vnanimiter laudauerunt, communiterq; corroborauerunt. VVilgigis sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui eodem Synodo vice Romanæ Ecclesiæ præsidebam, collaudauit, & subscripsit: RATHERUS Padelbrunnensis Ecclesiæ Episcopus interfuit & subscr. MEGINGANDUS, Eichstatis Episcopus interfuit & subscr. BERENVVARDUS Hildinifheimensis Episcopus interfuit & subscr. LAMBERTUS Constantiensis Episcopus interfuit & subscripsit: ARNOLDUS Halberstatis interf. & subscr. OUDALRICUS Curienfi Episcopus interfuit, & subscr. BURCHARDUS VVormaciensis Episc. interf. & subscr. VVERENHARIUS Argentinens. Episc. interf. VVALTERUS Spirensis Episc. interf. & subscr. BRUN. AUGUSTENSIS Episc. interfuit, collaudauit & subscr. LIUDOLPHUS Treuerens. Archiepisc. interfuit & subscr. BERTOLDUS Tullens. Episc. interfuit: HEIMO VViridunens. Episcop. interfuit & subscr. HARTVVIGUS Luvavens. Archiepisc. interfuit: CHRISTIANUS Pataviens. Episcop. interf. & subscr. GEBHARDUS Ratisponens. interf. & subscr. EGIBER-

rus Frisingens. Episc. interfui & subscr. Adelbero Brixienfis Episc. interf. & subscr. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis interfui ad votum Synodi & subscr. Schvvidgerus Munedargesfortens. Episc. interfui & subscr. Ansfri-
 dus Traiectens. Episc. interfui & subscr. Theodoricus Mindensis Episcopus
 interf. & subscr. Dietmarus Episcopus Osneburgens. interf. & sub-
 scripsi. Dagino Archiepiscopus Magdeburgensis interf. & subscr. Hildi-
 hardus Cizensis Episc. interf. & subscr. Burchardus Archiepisc. Laudunen-
 sis interf. & subscr. Baldolphus Archiepisc. Tarentasiensis interf. & subscr.
 Hugo Genuensis subscr. Anastasius Vngrorum Archiepisc. interfui & subse.
 Adelbero Basileens. interfui & subscr. Hugo Genuens. subscr. Henricus
 Lausonensis subscr. Ekkehardus Slesfvigenfis subscr. Albericus Cuma-
 nus Episcopus interfui & subscr. Richolphus Tergestinensis Eccles. Episc.
 interfui & subscr.

In Caput XIII.



Um Pago Raезengevv) Cod. Vienn. Cum Pago qui Ra-
 tenzgan dicitur.

In suum ius) consentit Cod. Vienn. Apograph.
 Bamberg. ad suum ius.

Wichibach) Cod. Vienn. Wichenbach. Apograph. Bamberg.
 Wichebach.

Ad Vraba) In Codice Vienn. subiiciuntur ista. Et vt haec con-
 dicio firma atq; inconuulsa permaneant, ipse Praesul Henricus roborauit &
 subscripsit. Actum, &c.

Non commutata) Cod. Vienn. non commutuata, paulò post.
 Cum termino commutuato.

In Caput XV.



Xstat hæc S. Henrici constitutio etiam in Codice
 Viennensi; at nonnullis omisis; Illa insuper; Con-
 tulimus præterea, &c. Longè aliter in dicto exempla-
 ri leguntur, quàm in nostro; Id vt videas, en tibi
 Codicis Vienn. verba. Proinde nouerit omnium nostri fidelium tam
 presens ætas, quàm & successiua posteritas; quia nos nostræ quendam pro-
 prietatis locum Chuigeshoff dictum ad eandem supradictam Episcopalem
 sedem

sedem, vna cum omnibus eius pertinentiis, siue adhaerentiis, videlicet vicis, villis, Ecclesiis, seruis & ancillis, arvis, aedificiis, terris cultis & incultis, viis & inuis, exitibus & reditibus, questibus vel inquirendis, saginis, venationibus, aquis & piscationibus, rebus mobilibus & immobilibus, ac ceteris omnibus, quae rite scribi aut appellari possunt, quolibet modo utilitatibus, hac nostra auctoritatis preceptali pagina, prout firmiter possumus, donamus atque proprietas, omnium contradictione remotâ, precipientes, vt nobis in Deo dilectus saepe dicta sedis Episcopus Eberhardus, suiq; successores, liberam dehinc habeant potestatem, eundem prescriptum locum cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quidquid sibi libeat, modis omnibus, in sum Episcopatus inde faciendi. Quod ergo in nostro exemplari vniuersim de omnibus praediis & locis Episcopatus donatis S. Henricus sancit, id Codex Viennensis refert duntaxat ad donationem loci illius, qui Rünigeshoff appellatur.

Sagenis) Apogr. Bamberg, Segenis. Cod. Vienn. difertè: *Sagenis*, quo denotari videtur ius Porcos in sylvas agendi, *Sagenis* causa; vt fieri solet, vbi glandiferarum arborum copia.

In Caput XVII.



Vius quoniam indumenti) Cod. Vienn. Cuius quomodo indumenti honor modesta actuum viuacitate seruandus est.

Data III. Nonas Ianuarij) In Cod. Vienn. additur, Per manum F. Diaconi, sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarij & Cancellarij, vice Domini H. Archicancellarij & Colonienfis Archiepiscopi, Anno Leonis Papae Noni IV. Indictione VI. Porro litera F. significatur Fridericus. Litera H. Heribertus. Post istas literas Leonis IX. subiicitur in Codice Viennensi sequens diploma, quod hinc annexere visum, quandoquidem ad res Bambergenses pertinet.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam posteris quam modernis, qualiter Fridericus rogatu Domini sui Guntheri V. sanctae Babenbergensis Ecclesiae Episcopi; alodium quoddam, Haga, quod idem praenominatus Episcopus antea per manum aduocati sui in eiusdem Friderici legauerat cum omnibus ad ea loca pertinentibus, hoc est, quidquid supradictus Episcopus praedij

pradij inter duos fluuios, videlicet Vffiam, quam nos vulgariter Ensam dicimus, & Iffiam habuerat, ad altare S. Petri maioris monasterij in Babenberg legauit pro remedio anime eiusdem pronominati Episcopi Guntheri, nec non patris & matris. Legauit etiam ministeriales ad idem pradium pertinentes ad suprascriptum altare S. Petri in Babenberg, eo deinceps sibi suisq; posteris retento iure, quod veri ministeriales habent eiusdem Ecclesie, quod & infra scriptum est.

Hac est iustitia Babenbergensium ministerialium. Si quem ex his Dominus suus accusauerit, de quacumq; re, licet illi iuramento se cum suis coequalibus absoluerit, exceptis tribus. hoc est, si in vitam Domini sui, aut in cameram eius consilium habuisse, arguitur, aut in munitiones eius. Ceteris vero hominibus, de quacumq; obiectione, absq; aduocato cum suis coequalibus iuramento se poterit absoluerit. Et ceteris hominibus non plus debent, quam septem personas, suarum vero sociarum duodecim. Si occisus fuerit, recompensatio eius, decem librae sunt, quae ad alios non pertinent, nisi ad cognatos occisi. Si beneficium ab Episcopo non habuerit, & representauerit se in eius ministerio, & beneficium non potuerit obtinere, cui vult, militet, non beneficiarius, sed liberus. Si absq; liberis obierit, & uxorem pregnantem habuerit, expectetur, dum pariat. Et, si masculus fuerit, ille habeat beneficium Patris. Si non; proximus agnatus defuncti lorica suam, vel equum, quem meliorem habuerit, Domino suo offerat, & beneficium cognati sui accipiat. In expeditionem iturus ex suo sumptu ad Dominum veniat: deinceps ex eius impensa alatur. Si expeditio in Italia est, Dominus per singulas loricas unum equum det, & tres libras. Si vero aliud: duo ex illis tertio dent impensas, beneficium habentes à Domino suo non constringantur, nisi ad quinque ministeria, hoc est, ut aut dapiferi sint, aut pincerna, aut cubicularij, aut marschalci, aut venatores.

Legauit & pronominatus Fridericus aliud pradium, inter Trimam & Vffiam situm, quod item pronominatus Episcopus Guntherus illi per manum aduocati sui legauerat, cum vtriusq; sexus mancipiis ad suprascriptum altare S. Petri maioris monasterij in Babenberg, pro remedio anime eiusdem Guntheri Episcopi, nec non patris & matris eius. Harum ergo traditionum testes per aurem tracti sunt; Palatinus Comes Chouno, & filius eius N.

& ceteri.

N

In

In Caput XVIII.



Vi sibi postea successit) Fridericus Cancellarius Pontificatum adeptus, Stephani X. nomen tulit: Non tamen immediatè successit Leoni IX. sed interiecto Victore II.

Quin etiam amore) Hunc locum ita emendauimus ex Codice Donauerdano. Nam in Rebdorffensi & Apographo Bambergensi planè deprauatus erat, licet neque iam meado prorsus carere videatur.

In Caput XIX.



Ippo in vita Conradi Salici eximiã laudem huic Heinrico tribuit. Agens enim de Conrado, quomodo pœnitentia ductus fuerit, quod ob inuestituras pecuniam accipere soleret; cum proposito in posterum à tali acceptione abstinendis; de Henrico subiungit. Sed filius eius Tertius Henricus, qui postea Rex & Augustus effectus est, optimè ac sine omni scrupulo patrum votum expiauit, in omni vita sua pro omnibus dignitatibus Ecclesiasticis vnus oboli precium non dicitur adhuc accepisse. Exstat in Codice Viennensi inter Bambergensi Ecclesiæ concessa Diplomata, aliud huius Imp. quod adscribere placet; vt videant sectarij, quàm Romanis Imperatoribus nihil cum Lutherano & Calviniano spiritu commune fuerit.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis; Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Scimus, ac perfectè cognoscimus sublimationem Ecclesiarum profectum parere animarum, quia dum terrenis cœlestia, temporalibus sempiterna comparamus, cœlestem ac sempiternam requiẽ animabus nostris præparamus. Vnde nouerint omnes Christi nostriq; fideles, tam futuri, quàm præsentis, qualiter illa spe inducti donauimus pro remedio anima nostra, dilectæq; coniugis nostræ scilicet Agnetis, nostræq; prolis Henrici, seu parentum nostrorum, pro pace & stabilitate regni, decimum mansum, rectamq; fructuum decimationem totius regionis in finibus Vngarorum gladio ab hostibus acquisita, in pago Osterriche, ad al-

taro

tate S. MARIAE in Heimenburg, & tertiam partem utilitatis vlllo modo de eadem vrbe prouenientis cum omnibus pertinentiis & utilitatibus; ea videlicet ratione, vt Praepositus Fratrum inibi Deo seruentium liberam debinc habeat potestatem possidendi, precariandi, commutandi, seu, quidquid libet, ad utilitatem praesatae Ecclesiae inde faciendi. Et vt haec nostra traditionis auctoritas stabilis & inconcussa permaneat, hanc chartam inde conscriptam sigilli nostri impressione, & propriae manus confirmatione iussimus inscribi.

In Caput XXII.



N obliuionem non conueniant) Post hanc capituli huius clausulam, adiungitur in Bambergensi Apographo sequens historia.

Et, si quis scire desiderat, quare gloriosissimus Imperator Henricus claudicauerit, cum primum corpore toto sanus fuerit, hanc causam nouerit. Cum ipse quodam tempore venisset in Apuliam, pro disponendis Reipublicae negotiis, peruenit in montem Garganum, in cuius crepidine sita est * leuitas, & in latere montis in rupe concaua, est basilica * planities. non ab hominibus fabricata, neque per hominem dedicata, sed operatione diuina vel virtute exstructa: mirabiliter etenim diuina benedictione venerabiliter consecrata est. Huius basilicae exstat Patronus Michael Archangelus. In hac etenim Ecclesia, qualibet hebdomada cantus angelicus, ab his, qui digni sunt, audiri perhibetur.

Hanc itaque Basilicam, orationis causa, cum ceteris Christi fidelibus viris Deo deuotus est ingressus. Cumque laudes diuinas inibi celebrasset, & vota precum suarum cum multa deuotione Deo reddidissent: tempus iam aderat, quo caelestis exercitus ad laudes Deo persoluendus, templum hoc sacrum fuerat ingressus. Itaque cum omnes egrederentur, & qui moram facerent, expellerentur exire; vir sanctus postulabat, vt ei intus remanendi facultas concederetur.

Igitur omnibus egressis, solus ipse, sperans in misericordia Dei, inibi manere praesumpsit, & preces precibus continuauit, & genuum flexiones iterauit: in quo multis lacrymis diuina se commisit clementia, & animam suam beato Michaeli Archangelo cum multa supplicatione studuit

* *erationem.* commendare. Cumq; p̄ Regis * incensum ascenderet coram Domino, Deus Israël, qui in sanctis suis semper est mirabilis, mirabilem ei dignatus est ostendere visionem. Vidit enim angelorum multitudinem copiosam, ad instar solis splendidam, templum sanctum ingredientem; ex quibus duo principale solenniter adornabant altare. Deinde vidit alias cœlestium Virtutum cohortes innumeras, in similitudinem fulguris coruscantis fulgentes, & quasi primatem suum cum gloria maxima deducentes: nec dubium hunc fuisse cœlestis militiæ signiferum. Nouissimè verò meruit videre ipsum Regem Angelorum Dominum venientem cum potestate magna & virtute. In cuius obsequio cœlestis exercitus innumerabilis, & splendor eius incomparabilis: cuius etenim nutu reguntur omnia cœlestia & terrestria. Demq; chorus noua Hierusalem in prædicta collectus Basilica diuinum solenniter celebrauit obsequium.

* *latenti*
forte.

Hierem. 23.

Causa claudicationis S. Henrici. Gen. 32.

Fide dignorum testimonium hoc historia caput comprobatum.

Quo tandem completo, vnus ex præcipuis angelis, sacrum Euangelij textum cum maxima reuerentiâ d detulit personæ; quo illum deosculante: innuit angelo, vt eundem deosculandum deferret Imperatori, in angulo * Angelo verò iussa sibi complente, prædictus Christi famulus ad insolitam tantæ maiestatis & gloriæ visionem cœpit animo pauescere, & omnibus membris contremiscere; tanquam diceret cum Propheta; Contritum est cor meum in medio mei contremuerunt omnia ossa mea. Hæc angelus ille videns, modeste semur eius tetigit, inquit: Ne timeas electe Dei, surge velociter, signum pacis diuinitus sibi transmissum suscipies alacriter; Extemplo & statim semur eius emarcuit; & exinde omni tempore vitæ suæ claudicauit.

Similis per omnia euentus de beato Iacob legitur, cuius semur ad tactum Angeli secum lactantis emarcuit.

Hæc quidem, vt verum fatear, in scripturis non inueni, sed relatu veteracium & venerabilium virorum, hæc vera esse, in veritate comperi. Equidem præpotens Cancellarius Episcopi Herbipolensis Conradus nomine, qui persecutionem passus est propter iustitiam, hæc, quæ dicta sunt, se legisse, constanter affirmavit, & in Ecclesia Babebergensi positus, multis audientibus enarrauit; ex quibus vnus mihi familiaris, & ipse plane vir veridicus, mihi fideliter intimauit, & volente me silentio suppressere, obnixè rogauit, vt scriberem: tandem ego petentis instantia, & sedulitate monentū inductus, fideliter conscripsi; quatenus in progenie altera hæc enarraretur. Mallem somno modo

no modo

no modo quiescere, quam sista vel friuola de sanctis Dei scribere, praesertim dum opus non habent falsis laudibus exaltari; qui signis & prodigiis meruerit decorari. Hac de tam glorioso miraculo dicta sufficiant. Et in euidentis huius signi testimonium ipsius S. Henrici imago ante ianuam monasterij ad dextrum latus penes chorum S. Georgij ex pillo vno subposito, ex opposito imaginum Ada & Eua lucide apparet.

Alij tamen, & in his Nouatoris Carionis Chronicon, aliam huius cognomenti causam reddunt. Accipe siue Carionis, siue Melanchthonis, siue Peuceri verba: *Ingressus in Italiam, Arduinum duobus magnis praeliis victum trucidauit. In eo bello captum Henricum; & cum, deceptis custodibus, elapsus de muro se praecipit asser, luxato fractioe crure, postea claudicasse scribit; vnde cognomentum Claudi habuit. Idem ferme scribit Crancius lib. 4. Saxonicae, cap. 32. vt & Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus; qui tamen prioris etiam sententiae meminit, eamque Nonnosio Monacho & Nauclero Nonnosium secuto, attribuit; subditq; haec verba: *Integrum lectori sit, quod horum velit credere. Claudicasse tamen Henricum non natura vitio sed casu quodam, certum est. Huius rei illustre adhuc hodie ante portam orientalem Basilicae cathedralis, in dextro latere, e regione Adami & Eua, cernitur indicium, lapidea Imperatoris statua, cuius sinistro pedi, dextro breuiori, lapillus artificiosè substratus iacet. Ex quibus lacuna quae est in iam recitata historia aliquo modo suppleri potest: & hinc iterum argumentum sumitur, Nonnosium Monachum esse huius de vita S. Henrici lucubrationis parentem.**

In Caput XXIII.

In honore S. Stephani) Leo Ostiensis lib. 2. cap. 47. scribit, à Benedicto Pontifice Templum in honorem S. Georgij fuisse consecratum. De quo vide Baronium Anno M. XIX. Sed rectè noster Auctor; nam Ecclesia S. Georgij iam antea Anno Domini M. XI. dedicata fuerat per Ioannem Patriarcham Aquileiensem, vt ostendit Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus.

In Caput XXV.



Quum vnum album) Hoffmannus in Annalibus. Inde privilegia renouare aggressus (Benedictus Pontifex) beneficia & iura a predecessibus suis collata renouauit. Qua de re Henricus Episcopatum, album & phaleratum equum, ac centenas marcas argenti, sancto Petro & successoribus eius in singulos annos dandas obligauit. Quam pensionem postea Leonem IX. remisisse, scribit idem Hoffmannus.

In Caput XXVIII.



Væ hoc capite de statera & calice aureo referuntur, non probat Crancius; nam lib. 4. Metropoles cap. 9. ita scribit: Non habet apud me fidem fabula, quam Mersburgensis Ecclesia prædicat de calice aureo, cui ansa sit detracta, cum in trutina meritorum ac demeritorum eius (Henrici Imp.) ab Laurentio diuo Martyre iniiceretur calix iste, qui merita faceret demeritis præponderari. Non solent in sanctos referri, quorum de virtutibus tam ambiguum est indicium. Nec tam leui momento pendebat sanctissimi Regis æterna salus, vt vnius pondere calicis trutina illa librans in vnam decideret partem. Ego sanctissimi Imperatoris meritum indignam esse duco fabulationem. Potest ex aliis causis ansa esse calicis detracta. Ita Crancius.

Apud Græcos & Latinos spiritualis illa meritorum ac demeritorum cuiusuis animæ ex corpore iam iam egressæ, consideratio & quasi examinatio, libræ seu trutinæ similitudine & pictura mortalium oculis repræsentatur. Hinc illa admodum frequens imago Michaëlis Archangeli cum statera, in cuius vna parte anima cum meritis: in altera demerita visuntur. Qua de re pulcherrimè scribit in sua Dioptra lib. 4. cap. 20. Philippus Solitarius, vetus & Græcus Auctor, cuius verba placeat adscribere: *Quis vel sermo exprimet, vel intellectus tandem capiet, quam calamitatem necessario subitura es. quando instabit a corpore separatio? Demones male feriati cum tumultu aduenient, chirographa & peccatorum acervos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam exami-*
nabunt,

nabunt, quibus demones grauiora tua crimina adiciunt. Si iurasti, si sur-
 tum fecisti, si calumniam struxisti, si scortationes, & adulteria perpetrasti,
 si auersus impudicus fuisti, si te supra fratres extulisti, si contra amicos men-
 titus es: totum denique, & simpliciter peccatorum tuorum Catalogum, seu
 sciens, seu nesciens, seu sentiens seu non sentiens illa commiseris. In humeris
 gestabunt, & apportabunt omnia maleficia, festinabuntque ut hominum
 exitio latantes, & num peccatorum lanx deorsum vergat, obseruabunt.
 Boni verò angeli in alteram lancem decenti specie bonas actiones imponēt.
 Nempe si misericors fuisti, si fratribus pepercisti, si cibo esurientem refecisti, si
 sitienti potum prabuiisti, si nudum, quibus potuisti, tegumentis operuisti, si
 carceri mandatos, & egrotos inuisti, si peregrinos & hospitio carentes in
 aedes tuas induxisti: si pauperibus & egentibus opem attulisti, si aliud hu-
 manitatis officium humaniter cuiquam prestitisti. Hæc, te in hora extrema
 tuebuntur. Quando igitur actiones tuas in medium protulerint, profanas
 quidem demones, angeli autem bonas, lucidi lucidas, tenebrosi tenebrosas,
 & in lances onerauerint, utrorum pars preponderauerit, illos voluptas &
 gaudium incesset, tanquam victores scilicet, & victi contristabuntur vehe-
 mentissime, ut testatur Gregorius magnus in Dialogis, magnisque, & om-
 nimodis magnus, & diuinus Antonius, magistrorum reuerendissimus, &
 Sanctorum decus. Hæc Philippus. At Damascenus ista Orat. de fi-
 delibus defunctis. Narrant viri quidam diuinitus illustrati, hominum
 actiones in extremo vita spiritus, non secus atq; in trutina perpendi. Atq; si
 lanx dextera alteram super excedat, manifestum, quod is, cuius opera exa-
 minantur, in dextris refocillabitur. Sin vtraq; aequaliter pendeat, vincet
 tamen omnino diuina misericordia, quin etiam, ut Theologi referunt, si si-
 nistra parum vergat, misericordia Dei totum adimplebit, &c.

De hac pictura sic scribit Molanus lib. 3. de picturis cap. 39.
 Michaël Archangelus cum libra pingitur, ut simplices, inquit Eckius, intel-
 ligant, eum potestatem habere animas hominum suscipiendi, eorumq; me-
 rita ponderandi. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi ij conse-
 quantur vitam aternam, in quibus bona opera preponderant malis: illi ve-
 rò diabolo relinquuntur, in quibus mala bonis preponderant. Quale quid
 habere videtur incerti scriptoris sermo, in appendice Tomi decimi Augustini.
 Hæc enim absurdissime dicerentur: cum nihil coinquinatum introire possit
 in regnum calorum: & qui offenderit in vno, factus sit omnium reus. Sed, si-
 gnificatur hac pictura, quod debemus deposuisse omne pondus & circum-
 stans

stans nos peccatum, vt signifer S. Michaël representet nos in lucem sanctam, quæ olim Abrahæ, & semini eius promissa est. Significatur, quod in æquitate erit iudicium de nobis. Sæpè enim in scriptura inculcatur, quod Deus iudicabit orbem in æquitate. Sed & statera huius mentio fit in scriptura sacra, Danielis quinto. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. *Iob. cap. 31.* Appendit me in statera iusta, & scit Deus simplicitatem meam. Ita Molanus.

Neque verò Crancius picturam huiuscemodi, aut meritum ac demeritorum in altera vita quasi examinationem, reiicit, sed hoc tantummodo pro improbabili habuit, illud vnicum Henrici opus fuisse, quo si caruisset, libra in deteriore partem versa fuisset, hoc est, à cælesti beatitudine exclusus fuisset. Proculdubio enim sanctus ille Imperator, meritis grauissimus ad tribunal Dei venit. Neque vult illa bilancis seu trutinæ effigies, & representatio, fieri posse, vt quis vna vel pluribus letiferis culpis irretitus, bonisque operibus simul instructus ad examen illud accedat; nam qui vel vno mortali scelere obstrictus tenetur, is eo ipso omni bonarum & laudabilium actionum fructu ac vtilitate caret; & reus gehennæ efficitur; sed hæc viuentium oculis & mentibus ita proponuntur & obiiciuntur, vt flagitia capitalia studiosè vitent; & per bona opera vocationem suam certam facere sedulo studeant; cogitentque, Dæmones etiam remissa peccata mortalia, homini opprobreturos; & fieri posse, vt licet quoad culpam, expiata sint; nondum tamen totum illud temporalis poenæ persolutum sit, quod Deo ob iniuriam per peccata illatam, persolui debet. Vide Serarium nostrum in cap. 5. *Iosue q. 45.* vbi eleganter de pictura S. Michaëlis cum trutina differit, & quid sibi velit, copiosè exponit.

Cæterum, relationem, quam Crancius pro fabulosa habet, aliter concinnat Cuspinianus in Henrico II. quem videat, cui talia cognoscendi cupido inest. In Saxonia tamen sua lib. 4. cap. 35. refert Crancius eandem historiam, & sine vlla censura.

Non est autem hîc silentio prætereundum, quod in Græcorum Menæo, die 20. Ianuarij, de Petro Telonario, (qui sub Iustiniano Imp. vixit) proditum legimus; nam cum profus esset

esset in egenos immisericors, & sordidè parcus, talisque ab omnibus haberetur, accidit, vt mendicus quidam, experiundi causâ, eum adiret, Eleemosynam postulans. ὁ δὲ τῶν ἀρτῶν ἀρπάσας ἕνα, καὶ ᾗ ἐτύχε τότε τὸν ἀρτοποιὸν τῆς παρεσκευασμένης κομίζειν ἀρτῆς, μετὰ θυμῷ κατὰ τὸ πένητ', ὡσεὶ λίθον, ἢ κόνυσιν, ἢ πῶ δὴ παρήλθον ἡμέραι, καὶ ὁ πατερίκι' νόσφ' κατὰ χεῖτ' ἡρογῶς ἐαυτὸν εἶσα τῶν περὶ τῶν λόγους ὑπέχρηται, εἶτα καὶ ζυγὸς ἐδόκει παρῆται διακείων ἐκάτερα ὕμετὰ μὴν τὴν λαίαν πλάσσειν μέλας, ἵελεπε συναδρεῖ ζοίαντες, καὶ πολλὰ τῶν αὐτῶ πρῶτον ἄτοπα τῆ πλάσσειν κατὰ πένητος, κατὰ δὲ τὴν δεξιὰν λουγεί-μοιαι μὴν ἀνδρας καὶ φοβερὸς τὴν μορφὴν μηδὲν ἀγασθὸν ἐπιμίτου παρεξουεί-σκοντας, πλὴν τῶ ἀρτῶν ἐκείνη ὄν μετὰ θυμῷ κατὰ τὸ πένητ' ἔβαλεν. αὐτῶ τοῖνον διαγασῶς, καὶ ἄπασω αὐτῶ τὴν περιουσίαν πένησι δανείμας, καὶ αὐτὰ ἰμάτια δὲς πτωχῶ πνι, τὸν χεῖρὸν εἶδε καὶ ἴπνυς ταῦτα ἐνδεδμένον.

Ille arreptum panem, (nam tum sortè fortuna Pistor panes adferēbat) irato animo, tanquam lapidem, in mendicum iecit. Nondum duo dies abierant, cum patricius (Petrus Telonarius) in grauem morbum delapsus, vidit se actionum suarum rationem dare; videbatur quoq; libra adesse, qua vtriusque generis facta trutinabantur, & examinabantur; ad cuius leuam lancem atros quosdam cernebat, qui multa eius male facta lanci imponebant. A dextra verò parte intuebatur candida veste vestitos, sed aspectu terrificos, qui quod ponderarent, nihil inueniebant, præter panem illum, quem iratus post pauperem proiecerat. Statim ergo exsurgens omnes suas facultates egenis distribuit, & vestimentis suis mendicum vestiuit; quibus postea Christum indutum secundum quietem conspexit: vitæque sanctissimè institutâ Hierosolymam, & deinde Constantinopolim petiit; vbi etiam plenus meritis viuendi finem fecit. Hæc recitare placuit, vt meritorum & demeritorum in altera vita futuram æstimationē, sapius sub schemate bilancis & trutinæ representatam, & mortalium oculis exhibitam sciamus.

Lutherus etiam in concione de Natiuitate B. Virginis impressa cum aliis nonnullis VVitebergæ, Anno M. D. XXVII. aliquid somniauit de historia seu traditione calicis in trutinam à S. Laurentio iniecti: sed id non Henrico Imp. sed cuidam Episcopo Merseburgensi accidisse, & eum, qui apparuit non S. Laurentium, sed Diabolum fuisse ait: & hoc sine dubio ea nocte didicit, qua cum Diabolo de priuata Missa disputa-uit.

In Caput XXX.

M Oritur Imp. Henricus Anno M.XXIV. III. Idus Iulij. Natus est Anno 972. Ratisbonæ pridie Nonas Maij, vt ex Ditmaro docet Fabricius in Originibus Saxonis.

In Caput XXXI.

S Et hæc altera huius historiae pars. S. Henricum Brunoni fratri suo apparuisse, Ceteratores quoque referunt Cent. XI. cap. 13. ex Crancij Metropoli, lib. 4. cap. 10. In Cod. Rebdorffensi præmittitur iste titulus. *Initium Miraculorum.* Et fortè, vt supra dictum, pars hæc librum secundum constituit, cum in Apographo Bambergensi *liber primus* disertè signetur.

In Caput XLI.

S Equentia capita fortè fortuna reperi in Codice manuscripto membranaceo Monasterij S. Crucis (quod in Ciuitate Donavverdensi situm est) plane præter expectationem, tametsi non præter mentem. Omittere piaculum duxi, cum contineant, quæ maximè ad gloriam S. Henrici illustrandam faciunt, ea nimirum quæ Deus, illius interuentu gessit, cum sacræ eius Reliquiæ Merseburgum transferrentur, ex loco vbi vitam finierat; non enim Bambergæ excesserat; de quo Hoffmānus in Annalibus Bambergensibus: *Dominicam Palmarum Alsteri, Resurrectionis verò diem Nouoburgi Monachorum celebravit. Perlustrata inde tota illa regione, cum de Halberstadio Goslarium, inde Grondam se reciperet, graui morbo tentari cepit, &c. His ita actis Imperator pietissimus & sanctissimus magno totius Imperij cum dolore vitam hanc reliquit.*

IN RESCRIPTVM EVGE-
NII PONTIFICIS.

Aniversarium ipsius diem) Martyrologium Rom. 14. Iulij. Bambergæ sancti Henrici Primi Imperatoris, qui cum vxore sua Chunegunde perpetuam virginitatem seruauit, & sanctum Stephanum Hungarorum Regem, cum vniuerso serè eius Regno ad fidem Christi suscipiendam perduxit.

Idem Martyrologium 3. Martij, Bambergæ S. Chunegundis Augustæ, quæ Henrico Primo Imperatori nupta, cum virginitatem ipso annuente seruasset, bonorum operum meritis cumulata, sancto sine quieuit, & post mortem miraculis claruit.

Caluinista Hospinianus in lib. de Fælis Episcopus Basileensis Ioannes Sen, impetratis Anno Christi M.CCC. XLIIIX. quibusdam reliquiis Henrici II. Imper. à Bambergensibus, instituit etiam per totum suum Episcopatum, diem obitus eius celebrandum, non tantum propter sanctitatem & miracula eius, sed etiam propter merita erga Basileenses. Citatque Caluiniani Vrsitij Chronicon lib. 3. cap. 10.

Idem Caluinista Kunegundis vxor Henrici II. (Regis & I.) Imperatoris fuit: eius tamen virginitatem violatam non fuisse, multi (imò omnes) affirmant. Mortua est V. Non. Martij, Anno Domini M. V. (e-gregiè, nam mortua est Anno Redemptoris M. XL. Henrico, sponso suo XV. annis superstes, qui Henricus viuendi finem fecit Anno M. XXIV.) Ioannes Episcopus Basileensis Anno M. CCC. XLIIIX. cum diem obitus Henrici in suo Episcopatu feriandum instituisset, precepit simul diem 9. Septembr. in honorem Kunegundis Imperatricis, non quidem feriari, sed deuotè celebrare, vt Vrsitius indicat Chronicorum lib. 3. cap. 10.

Hic non finit me sui immemorem esse Lutherus, qui Tom. 2. Latinorum Colloquiorum hac festiua fabellula compotores suos hilariores efficere tentauit: Bambergæ legerunt Canonici annuatim libellum, quem dixerunt continere fœdus matrimoniale inter Henricum Casarem & N. Inspecito isto libro ab erudito, fuerunt Topica Ciceronis. Nimis crasso filo mendacia texis, ô Luthere. Saltem aliquem

quem verisimilitudinis colorem allineres: nam vt vnus vel alter fuerit, qui latina vel ipse lectitans, vel ab aliis lectitari audiens, tantum intellexerit, quantum si aliquid Japonico, Mexicano, Peruano, aut Chinenfi idiomate auribus eius instillatum fuisset; omnes tamen tanta inscitia fuisse occupatos, vt quid legeretur iuxta cum ignarissimis ignorarent, id verò à fideremotius est, quàm vt vlli, etiam admodum credulo, & quidquid de sacerdotibus Catholicis garritur, auidissima aure combibere solito; persuaderi queat: nam & stupidissimo cuique statim in mentem venisset sciscitari, qua de causa, in libello illo nulla Henrici & Kunegundis mentio exstet; si fecdera connubialia in eo descripta essent. Quanquam Lutherus vel Collector & Editor fœditissimorum Colloquiorum adeo rerum omnium imperitus fuit; vt quod nomen vxor S. Henrici habuerit, ignoraret; coactus hanc suam inscitiam communi illa nota N. quæ verbum *nescio*, denotat; designare.

Lubet sub finem harum Notationum adiungere, versus Godefridi Viterbiensis, non illos quidem cultos ac politos; sed tamen tales, qui Historiæ S. Henrici aliquid lucis accendant; & Bambergensis Ecclesiæ laudes iis, quibus possunt, modulis, decantent, candidis certè ac sinceris, si minus festiuis & canoris.

De ciuitate Bambergensi.

BAuaricus fluuus vulgò Radiantia dictus,
Norica rura fouens, varièq; vagando relictus,
Montis Pauonis vrbs amœna colit.

Nomine vulgato mons Babenberg a vocatur,

Flumine crassatur, vicinaq; rura rigatur,

Ponsq; superstratus, cingit vtrumq; latus.

Vrbs laudanda nimis, montis succrescit ab imis,

Indeq; sublimis fit turribus in sita primis,

Montis in Vrbe tamen culmina. Clerus habet.

Agmine murorum series præcincta domorum,

Exclusis Laicis munitio sit Dominorum.

Clericus illorum spernit adire foram.

Dogma-

Dogmate Grammatico Clerus solet ille beari,
Nullaq; vulgaris vox audet in Vrbe sonari,
Sola solet cunctis lingua Latina dari.

En quantum in Clero Bambergensi, Latinæ linguæ studium;
vt vel hinc supradictum Lutheri commentum refutare, & ma-
nifestæ vanitatis conuincere liceat.

De Ecclesia Babenbergensi.

Ecclēsia forma mentis caput auget & ornat,
Grandis ibi norma Cleri recidua reformat,
Diuitia late rebus & arte patent.

OTTO Pater Patrum tenet ordine Pontificatum,
Nobilium fratrum dilatat honore theatrum,
Ipse sacer, sacrum prestat, adæquat * vtrum?

Fulget in Ecclesia mirandi ponderis aurum,
Quò minus est Danais solitus persoluere Maurus,
Pallia purpurea quis numerare queat?

* pro Seruinq;
per Apocop.

De monte Pavonis, & eius forma situque.

Mons Pavonis habet colles sibi collaterales,
Tres quasi consimiles, Vrbs quoq; participales,
Ipse nitens medius preminet absq; pare.

Pulchrior illorum loca maxima dat Monachorum,
Templaq; multorum reliqui dant Canonicorum,
Quartaq; pars stuuio prebet vtring; forum.

In Crucis ergo modum posuit sibi Pavo colonum,
Qui veneretur eum, foueat celebretq; patronum,
Ipse suis famulis prebet ab Vrbe bonum.

Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur,
Vertice stat Iacobus, leua Michaël retinetur,
Fertq; secus stuuium Virgo MARIA decus.

N 3

De

De sepultura Cæsaris Henrici.

Cæsaris Henrici sancti, cognomine Claudi,
 Lector opes audi, quo possunt munere claudi?
 Hec & maiora sunt sua multa bona,
 Cuius & ossa bona sunt ad miracula prona,
 Hoc opus, hæc dona sua contulit alma corona,
 Vnde per Ecclesias cantica digna sonant.

Babenbergæ author prius studuit.

Laude vacans ista, recolo mihi tempora prisca,
 Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra,
 Mens mea qua didicit, reddit amica sibi.
 Reddere non potui quantum, sed reddere quale,
 Ecce mea volitant alias properantius alæ,
 Me vocat historia, Pavo beate vale.

Item de eodem Henrico Claudio
 laudes scribuntur.

Henrici Claudi meritum solenniter audi,
 Cui decet applaudi, cuius metra porrigo laudi,
 Sumptus ab arce soli regnat in arce poli.
 Coniuge virginea virgo permansit & ille,
 Catholicas dedit Ecclesias numero quasi mille,
 Pauperibus, viduis spes, via, vita fuit.
 Nunc & in altari sua cernimus ossa sacrari,
 More salutari solennia digna parari,
 Corpora debiliū plurima sana dari.

Finis Notationum.